



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

LXXXIV. Ioannes. LVIII. Arch. XIII. Elector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

animarum salutem se suosque totos servaret; quem in finem non paucos ex nobilitate armorum suos, revera prædones, datâ prædâ remisit. At Fridericus Lotharingæ Dux & Comes Nassovius, cum arma ponere nullo modo viderentur, uterque Arnoldi felicitate magna repulsus pacem petiit, dum paulò antè petitam negavit. Otium ab armis nactus Archidioccesin suam lustrando, Ecclesias passim ære alieno obstrictas insigni liberalitate levavit. Nec multò post in Italiam cum Cæsare profectus, post optatam Pontifici & Venetis victoriam Alexandrum Friderico vidit conciliari, vidisse talia contentus: unde in Germaniam reversus, Himmerodensis claustrum solitudine delectatus an. 1183. mortem expectatam animo æquissimo excepit. Sed. an. 14. Mortuo Arnolde septem annis à geminis partibus pugnatum est, aliis Rudolphum Præpositum, aliis Folmarum Archidiaconum poscentibus. Inter duos litigantes gaudere demum licuit tertio, qui fuit

LXXXIV. IOANNES, LVIII. ARCH.
XIII. ELECTOR.

Joannes Henrici VI. Imperatoris Cancellarius, ut vocamus, Diocesi suæ quietem restituit, & eiusdem bona promovit, verè pastor vigilantissimus. Inter opera eiusdem prima venit urbs Trevirorum novis mœnibus refecta, & templum Noviomagense consecratum. Cum variis deinde Comitibus partim jure, partim gladio certavit, ut rem Ecclesiæ integram servaret. A profanis conversus ad sacra, dum exornandæ ædi summæ se totum impendit, inconsutilem Christi Domini togam denuo inventam confertissimo populo an. 1196. exhibuit. Adversus plurima illius temporis discrimina ut immunem se servaret, nunc Philippi, nunc Ottonis Imperatorum inter sese pugnantium partes amplecti necessitas, & mutata in tempore ratio suadebat, ubi ab Ottone Treviri accepere singulare privilegium, quod *Fundamentam Treviricæ*

liber-

libertatis vocârunt. Id commendandum maximè in Electore Joanne, quòd inter publicas Imperii adversitates Romam sibi præfixerit constanter metam, ultra quam nec passum quidem tentandum esse fixum ratum habebat, amicus nimirum usque ad aram; unde cum Guido ex Cisterciensium Ordine Cardinalis imperante Innocentio III. Pont. partes Philippo Cæsari pertinaciùs adhærentes anathematis sententiâ terreret, continuo Joannes monitis acquievit, atque in Cisterciensium gratiam Romam profectus est, ut vectigalium, quæ in sacri belli subsidium postulabantur, onus averteret. Simile exemplum in Joanne expertus Otto, æstimavit pluris, quàm amavit promptam Electoris huius erga Pontificem obedientiam. Cæterùm quamvis Treviros, Confluentiam aliásque urbes suas plurimis impensis communiêrit, quin Dioccesin suam copiosis simulque pretiosis subsidiis recreaverit, facultates tamen finésque Ecclesiæ suæ adeò adauxit & extendit, ut pluribus seculis posterius Joannis nomen celebraverint. Inter communes igitur omnium laudes tumulo illatus est an. 1212. Sed. 22.

SECULUM XIII.

LXXXV. THEODORICVS II. LIX. ARCH.
XIV. ELECTOR.

Theodoricus II. origine Comes de Weida, ex Archidiacono Trevirensi & Præposito S. Paulini formatus Archipræsul, in Electoratus sui exordio jam dura passus pronuntiavit: *excelsa munera sunt gravia onera.* Anno nimirum ab electione sui altero ab Ottonis partibus captus, à Friderico Ottonis hoste liberatus est, libertate hac parùm recreatus, quòd multis vinculis obnoxiam sciret. An. 1215. Coloniam abiit, hanc ipsam urbem interdicto subjectam liberaturus. Colonia Romam profectus Lateranensi Concilio celeberrimo interfuit, in quo cum pro Ecclesiæ

emo-